

tertio, 9 radices cum 7 itidem integris primis multiplicentur: hæ tamen integræ cū non sint, sed quandam decessionem perpessæ sint priuatiuo signo —, necesse est, ut in multiplicatione tantum decedat, quantum non legitime accessit, priori summæ procreatæ ex multiplicatione: atq; hic quidem, quantum 9 radices cum 4 radicibus: illic uerò, 4 radices cum 9 radicibus multiplicatę producunt, id quod per signū diminutionis — fieri debet, sic, — 36 pri. — 36 pri. Ex quo ratio intelligi potest, propter quam, si multiplicetur + cum —, uel contrā — cum +: non plus, sed minus producat, quod & ipsum regula quadam proposuerunt in Algebricis exercitati, quæ est notanda.

ALIVD EXEMPLVM.

8 pri. — 9 N							
8 pri. — 9 N							
64 ter. — 72 pri.							
64 ter. — 144 pri. + 81 N							

3 8 3
cum 3 8 3 produ.
1 4 6 6 8 9
rad.
1 4 6 6 8 9

Quomodo 8 primæ cum 8 pri. ut totum cum toto multiplicari debet, item quomodo 8 primæ — 9 N. cum 8 primis, Postremò 8 primæ etiam cum 8 primis — 9 N. suprâ ostendimus. At uerò cum in hoc exemplo multiplicandi ratio minus sit perspicua, eam explanare obiter hoc loco uolui, ut intelligatur scilicet causa etiam, propter quam, signo — notatis numeris, non minus, sed plus procreetur, hoc quod diuersum quid, quam in superioribus hætenus est habitum, esse solet. Multiplicentur igitur 8 primæ — 9 N. ut dictum est, cum 8 primis, & producentur 64 ter. — 72 pri. Sed quia non cum 8 primis integris, uerum cū ijs, detractio, 9 N. imminutis, multiplicatio institui debet, plus quam par erat, priore multiplicatione est procreatum, quare ut conueniens producat, ratione defectus in multiplicante, 8 primæ nouies ex hoc producto subtrahendæ erunt. Atqui rursus, cum non 8 primæ, sed hæ minus 9 N. multiplicari debeant, 9 N. rursus nouies addendæ sunt, quod tum fit, quando minus multiplicatur per minus (id quod tertio ratione signorum, + & — in multiplicatione obseruari debet) Quod demum reddito, uerus productus numerus apparebit.

Tribus igitur regulis his suprâ propositis, omnis multiplicatio, ratione quidem signorum + & — absoluitur: quæ tamen, quia prima & ultima coincidunt, ad duas regulas reduci possunt.

Prima.

Si fuerint eadem signa multiplicantis & multiplicandæ quantitatis, procreatus ex multiplicatione numerus notatur signo affirmatiuo +.

Secunda.

Si fuerint signa diuersa: notatur productus ex multiplicatione numerus signo priuatiuo uel negatiuo —.

POTEST ETIAM ALITER HVIVS EXEMPI PRAECE-
dentis multiplicatio institui.

Multiplicentur primò 8 pri. — 9 N. cum 8 primis una, postea etiam cum 9 N. altera quantitate. Subtrahatur deinde, per caput præcedens, posterius productum à priori, & relinquatur uerus ex multiplicatione productus numerus, ut sequitur.

8 pri.